Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 281
Quelle:
Copyright:

Bartholdo (Bartolo) *de Saxo ferrato legum Doctore pie memorie compositus.* Init: *De more iudici qui tribunali cuilibet preest occurrent infra scripta seruanda* &c. Extat in ejus *Operibus* saepius editis inter *Tractatus* titulo: *De Ritu Judiciorum in cognitionibus et decisionibus Causarum.* n. 20.

VIII. *fol.* 119. Proponitur Casus: *Episcopus Veneciarum pro debitis suis multipliciter aggravatis constitutionem fecit, quod ecclesie omnes constitute contra* (intra?) *limites sue dijocesis tenerentur sibi dare certam partem prouentuum pro grauaminibus suis releuandis.* Additur, cum ea non sufficeret, etiam Indulgentias pro pecunia Fidelibus obtulisse, et nulla exterius peracta poenitentia obivisse. Atque hinc triplex orta Quaestio e principiis theologicis et canonicis discutitur. Consilium istud post medium Seculi XIV. scriptum fuisse, inde liquet, quod Autor *Gasparem de Kalderinis* citet, quem *solempnem Virum* adpellat.

IX. *fol.* 125. p. 2. Triga Epistolarum in negotio Schismatis inter *Bonifacium* IX. et *Benedictum* XIII. Prima est *Universitatis Paris.* scripta *Uniuersis christi fidelibus,* dataque: *Aput Sanctum martinum* (Mathurinum?) *Anno Domini Millesimo CCC^mo. LXXXXV^to. XXVI^ta. die Mens. Augusti,* hoc initio: *Quoniam — ante paucorum mensium spacium ad abolendum scisma nequissimum quod katholicam inquinat ecclesiam et letali iam diu wlnere sauciat christianissimi francorum principis edicto nobis imperatum erat* &c. Hanc in *Caes. Eg. Bulaei Hist. Univ. Paris.* ad an. *cit.* non reperi. Altera est ejusd. *Universit.* scripta *Venerabilibus et circumspectis viris Domino Rectori singulisque magistris Vniuersitatis Wienn.* quae incipit: *Uenerabiles uiri et multiformibus scientiarum titulis conspicui Recommendatione premissa Nephas haut dubium aput Deum censeretur et homines* &c. et habetur quidem apud *Bulaeum cit.* T. IV. p. 773. sed instar Formulae generalis ad omnes Universitates exteras directae. Data est *ad S. Mathurinum*, non *Martinum*, ut habet Codex, 12. *Martii*, ejusque *Viennam* perlatae meminit *Conspectus Hist. Univ. Vien.* ad an. 1395. p. 62. Tertia est Responsum *Viennensium* ἀχρονον quidem, sed certe eodem anno datum, quod infit: *Venerabiles Domini* &c. *Quid flammeis caritatibus vestris transcribere possumus nisi gemitum et planctum lugubrem super illis innumeris malis* &c. Refert quidem *Conspectus cit.* p. 63. ejus argumentum: Academicos videlicet inconsulto *Bonifacio*, in cujus obedientia esset *Austria*, nihil acturos; ipsum tamen Responsum ἀνεκδοτον puto. Adpellat in eo Academia nostra Parisinam *matrem karissimam*, seque ejus *filiam primogenitam.* Exemplar aliud *Vol.* superiore relatum est.

X. *fol.* 131. Adversaria mixta ad praxin utriusque *Juris* pertinentia, quorum initium: *Constitucio est ius humanum, quod papa imperator uel rex constituit.* &c.